

## CONCIO VIII.

tus participes, *Auferam de spiritu tuo* ait Moysi, tradamque eis, ut sustentent tecum onus populi. Quare merito ab Ecclesia eliminantur et excommunicatione feriuntur haeretici et schismatici, pacis et charitatis turbatores.

Secundo, ut doceret velle se Christianos omnes ex fraterno amore conjunctos esse, idem sapere et inidem tendere. Hinc mox in imprimis Ecclesia usus obtinuit, ut Christianis mutuo vocarent fratres et sorores; ita ut communis de Christianis gentilium esset vox: *Vide ut se diligent, ut alter pro altero mori sint parati*, Tertull. in apol XXXIX. Hinc Pacomius adhuc gentilis et militans in exercitu Constantini Magni, videns Christianorum erga milites egnos charitatem et munificentiam, inde ad fidem conversus et monachus, imo monachorum pater et princeps factus est, ut in ejus vita. Quam vero grata sit Deo haec unanimitas, ex hoc Dei oraculo discite. B. Macario celebri anachoretæ revelatum fuit, duas mulieres, quæ erant uxores duorum fratrum, ipso esse sanctiores, eo quod in eadem domo per annos quindecim ita concorditer vixissent, ut nunquam item aliquam habuerint vel verbum asperius sibi invicem dixerint, uti refert Ruffinus, in vitis patrum, lib. III. n. XCVII. « Porro melior est inquit S. August. ser. de verb. apost. fraternitate sanguinis, Christi fraternitas, quoniam illa interdum sibi inimica est, Christi autem fraternitas sine intermissione pacifica est. Illa inter se communia cum amulatio ne dividit, haec etiam cum gratulatione communicat. »

IV. Cur Zebedæus non est vocatus? Resp. primo, quia ob senilem atatem ad munus prædicationis parum utilis fuisset. Ad longinquæ enim itinera, ad omnis generis labores et afflictiones sufferendas mittendi erant apostoli.

Secundo, quia senes minus tractabiles parumque ad disciplinas capiendas idonei sunt; suæ enim opinionis communiter tenaces, et pravis habibibus imbuti sunt, a quibus revocari difficulter possunt. Unde in his verificatur id Ambrosii: *Facilius reperi, qui servaverint innocentiam, quam qui veram egerint pænitentiam*

V. Quomodo tam cito attracti discipuli? Resp. primo, interna illustratione et motione, dum vidit eos Christus. Si enim sol radis quasi aspectu terram disponit ad generationem, quanto magis aspectu suo Christus hominum corda ad sui sequelam disponere potuit: *Oculi enim Domini multo plus lucidiores super solem, etc.* Eccles. XXII. Respxit Petrum Christus post negationem ejus, et statim lique fecit eum, ut in lacrymas solutus agnosceret et defleret peccatum suum: *videte eundem Petrum cum Andrea in hoc. evangelio, uti expressit*

eangelista; quid mirum, si hoc aspectu corda illorum moverit, ut ipsum sequerentur? Deinde Petrus et Andreas jam ante Christo familiares erant, et ad colloquium ejus admissi, ut patet Joan. I. ex quo colloquio statim didicit Andreas Christum esse Messiam, quod mox indicavit Petro dicens: *Invenimus Messiam*. Idem fructus conversionis sperari posset ab haereticis, si adirent catholicos si eorum sacra viderent, conciones audirent, mores et pietatem observarent, de rebus fidei cum iisdem conferrent: verum quia hanc lucem fugiunt, in tenebris relinquuntur. Neque enim docet ut miracula illa fiant dum humano modo ad fidei cognitionem venire possunt: habent Moysem et prophetas, id est, Ecclesiam et doctores ejus, audiunt illos. Sed quia lucem veritatis fugiunt, idcirco et ipsi fugiendi tanquam veri haeretici sunt. Hinc Sanctus Agathon abbas, ut refert Evagrius, lib. II. de vitis patrum, cætera humillimus, quævis opprobria libentissime perferebat addens se mortalium omnium pessimum esse. Cum vero obfrectatores ei dicenter: « *Audivimus præterea te esse:* » mox rupto silentio: « *Absit inquit, a me, ut sim haereticus,* » causamque subdit: « *Cætera peccata infirmitatis et fragilitatis sunt, hominemque Deo adhuc per fidem unitum relinquunt: haeresi vero pertinacia est notæque malitia, quæ hominem a Deo prorsus avollit, quia arboris radicem, fidem excidit.* »

VI. Quomodo reliquerunt piscatoriam, siquidem et postea Joan. XXI. eam exercuerunt? Respondit ille: *Quæ in siccum protractæ sunt*. Non expectarat alter hoc responsum, sed an naves onerariae, an actuariae, an myoparones, et aliae tutiores essent. Verum Anacharsis dicere voluit, omnes naves periculo expositas, omnem navigationem intutam esse, Laert. I. I. c. III. Si me percontetur aliquis, quinam homines totius mundi omnium securissimo loco sint, respondebo et ego: Qui e mundo extruneti sunt. Dicit alius quispiam illos omnium tutissimos esse, qui in munitionibus, turribus, insulis, cavernis petrarum, vel in montibus habitant. Verum ego assero, neminem tutiorem esse illo, qui de mundo extractus est, cæteros vero omnes periculoso loco esse. Quæ enim causa est, cur Dominus noster primos suos et præcipios discipulos extrahat e mari, nec querat eos in eorum ædibus aut in plateis, nisi quia mare illud typus mundi erat, ubi perpetuo fluctuant homines, et innumeris periculis subjacent? Unde alibi eis dicit: *Ego elegi vos de mundo*. Quare qui tutiorem in mundo locum querant, exeat et mundo, si non effectu, saltem affectu. Quod ut fiat, videamus utrum mare Tiberiadis typum hujus mundi nobis exhibeat.

VIII. Quid est spiritualiter relinquere retia, navim Zebedæum? Resp. ex Chrysostomo, esse relinquere carnales actus, substantiam mundi et

## IN FESTO S. ANDREÆ.

parentes. Quid enim mundi negotia, amor, curæ, sollicitudines, nisi retia, quæ mille modis et nodis hominem implicant et capiunt? Quid mundit opes, honores, deliciae, nisi navicula fragiis et fluctuans, navigantem cito overtens? Quid parentum amor, nisi seniculus quidam Zebedæus, brevi moriturus?

## AUCTARIUM

## CONCIO I.

## MUNDUS SIMILIS MARI TIBERIADIS.

- I. Quia æstimat magna, quæ parva sunt. — II. Quia eamdem rem aliis et aliis tribuit. — III. Quia varius inconstans. — IV. Quia in vita se dilatat, in morte augustiatur.

## THEMA.

*Ambulans Jesu juxta mare Galilææ, vidit duos fratres*, Matth. iv.

Anacharsim Scytham, virum sapientem, quidam percontabatur, quænam naves essent tutissimæ, Respondit ille: *Quæ in siccum protractæ sunt*. Non expectarat alter hoc responsum, sed an naves onerariae, an actuariae, an myoparones, et aliae tutiores essent. Verum Anacharsis dicere voluit, omnes naves periculo expositas, omnem navigationem intutam esse, Laert. I. I. c. III. Si me percontetur aliquis, quinam homines totius mundi omnium securissimo loco sint, respondebo et ego: Qui e mundo extruneti sunt. Dicit alius quispiam illos omnium tutissimos esse, qui in munitionibus, turribus, insulis, cavernis petrarum, vel in montibus habitant. Verum ego assero, neminem tutiorem esse illo, qui de mundo extractus est, cæteros vero omnes periculoso loco esse. Quæ enim causa est, cur Dominus noster primos suos et præcipios discipulos extrahat e mari, nec querat eos in eorum ædibus aut in plateis, nisi quia mare illud typus mundi erat, ubi perpetuo fluctuant homines, et innumeris periculis subjacent? Unde alibi eis dicit: *Ego elegi vos de mundo*. Quare qui tutiorem in mundo locum querant, exeat et mundo, si non effectu, saltem affectu. Quod ut fiat, videamus utrum mare Tiberiadis typum hujus mundi nobis exhibeat.

I. Mare hoc Tiberiadis, nomine quidem maris afferebatur a Judæis, revera tamen non mare, sed

Superest nunc ut nas, quas ex evangelio collegimus gemmulas in auribus et annulis nostris inseramus, hoc est et memoriae commendemus et opere exerceamus, quod didicimus, etc.

stagnum tantum erat, uti et appellatur a Luca, c. V. seu lacus, ut a Josepho: quemadmodum et mare mortuum, quod item monisi lacus erat. Sed cur mare appellatus lacus Tiberiadis, qui non nisi leucam unam in latitudine, tres vero in longitudine superaret? Nimirum Hebrei, quia vastiorem aquarum colluviem in terra sua non habebant, et plerique forsan mare non viderant, lacus illos suos maria esse putabant. Sic omnino mundus decipit et decipitur: maria esse putat, quæ tantum stagna sunt; miratur res viles, et æstimat esse magnas, quia majores et maria verorum bonorum non vident. Alcibiadem Atheniensium ducem cum videret Socrates insolescere obfundorum vastitatem et prædiorum multitudinem, adduxit ad tabulam geographicam, et jussit quærere Atticam; deinde in ea fundos suos: qui cum ibi nusquam extarent, dixit ei: *Eo cur ergo te effers fundorum possessione, qui nulla pars sunt terre?* Eliam. I. III. var. c. XXVIII.

Ad hæc, quemadmodum mare Tiberiadis videbatur in terra stantibus esse mare spatiolum, sed navigantibus apparebat parvum, quod celeri me id trajicerent; sic vita hujus spatium, v. g. sexaginta et septuaginta annorum, juvenibus videntur esse longissimum; at senibus appetat esse brevissimum, quia vident se celerrimo cursu id pertransisse. Unde dicit Job, cap. IX. *Dies mei velociores fuerunt cursore: fugerunt et non viderunt bonum, pertransuerunt sicut naves poma portantes, q. d. celerrime. Aquæ maris salsaæ sunt et crassæ, unde fortius sustinent naves, et minus mergi patientur, sed aquæ maris Tiberiadis dulces erant, unde et periculosiores navigantibus. Consimili modo mundus singitur esse mare et habere aquas marinas, hoc est, delicias omni pericularentes, quasi nemo facile in iis perire possit; cum tamen sint aquæ dulces et periculo plæne, quæ plerosque mergunt ad interitum. Invitat mundus homines ad sui amorem, quomodo Jahel Sisarum ducem in fuga sitiendum et desideran-*

tem aquæ potum, illis verbis invitavit: *Intra ad me, domine, intra, ne timeas*: deditque ei lac ad bibendum; postea sommo sopitum clavo per tempora transfixit, et terræ affixit, *Judic.* IV. Jahelem agit mundus invitans ad se homines, terram sientes, et promittit securitatem, quasi nihil haberet periculi, mox tamen inebriatos lactis sui dulcedine, terræ affigit et necat.

II. Mare Galilææ varia sortitum est nomina, juxta varietatem adjacentium regionum. Olim enim appellatum fuit mare Cenereth, a vicino oppido Cenereth, Num. XXXIV. et Jos. XIII. Hoc eversum, et a Tiberio imp. reædificatum, Tiberias appellatum fuit; sique mare etiam illud, cum nova civitate et principe novum nomen acquisivit *Tiberiadis*. (Sic debet hominibus mare servire, et ad eorum nutum nomen mutare.) Ad hæc eumdem tacum tam multi sibi attribuunt et quasi rapiunt: terra Genesar appellat eum a se *lacum Genesareth*; Galilæa, *mare Galilææ*; civitas Tiberias, *Tiberiadis*, quasi dicant singuli: Meus est hic lacus. Ita ergo mundus eamdem rem diversis temporibus diversis tribuit hominibus: quod prædecessoris abstrahit, dat successori; post, ea huic sua detrahet, et dabit alteri. Una cathedra, domus, ager, quot dominos habuit? Sic una eademque ranina pelle plurimæ capiuntur ranæ. Hæc una cogitatio potuit nobilem virum Romaricum, de partibus Austrasanorum, e sæculi fluctibus eripere, et ad militiam Christi aptare. Cum enim ad eum divertisset ex itinere S. Amatus monachus Agaunensis, et ab eo reverenter exceptus esset, petiti Romaricus in mensa ab eo avide verbum aliquod salutis. Qui Amatus: «Cernis hunc discum argenteum? Quam multos is antehac habuit, et deinceps habiturus est servos? Et tu ipse, velis nolis, ejus nunc servus es, si quidem servandi causa eum possides. Et ille quidem nunc ex se edentibus æqualem navat operam: sed a te, qui eum nunc servas, de illo quandoque ratio exigetur. Scriptum namque est: Aurum et argentum vestrum æruginavit, et ærugo eorum in testimonium vobis erit. Et ipse Dominus ait: Væ vobis divitibus, qui habetis consolationem vestram.» His auditis, Romaricus, afflatus divini Spiritus commotus aliquot diebus Amatum apud se detinuit, moxque consilium de mutanda vita capessivit, spretisque opibus ac seculo, monasticæ disciplinæ sub Amato se subjecit, Lipel. 18. sept. Putant sæculares se suorum honorum dominos, cum revera servi sint, Deinde rationem de iis reddere debeant: sciant ergo se in mundo non esse nisi hospites et peregrinos. Hospes unius dei non amat vel curat argentea vasa cauponis, e quibus edit aut bibit, quia novit

se ea cras alteri cessurum, succedenti sibi hospiti: sic agant et ipsi.

III. Mare Tiberiadis inquietum erat, nec semel Christi discipulis interitum minabatur, ut habemus ex evangelio. Talis etiam mundus est. In urbe Regino, sita in Italia e regione Siciliæ, consul fuit Fabatus nomine, qui intra septuaginta annos nunquam ex urbe sua trajecit Messinam, primam, quæ ingredientibus occurrit, Siciliæ civitatem, vix duobus milliaribus nostris distantem. Dicebat enim navim esse stultam, quod perpetuo se moveat; nautam esse stultum, quod perpetuo sua consilia mutet; ventos esse stultos, quod semper se vertant; aquam esse stultam, quod semper inquieta sit. *Jam si in terra me uni stulto non conredo, inquit quomodo in mari credam me quatuor stultis?* Refert Antonius de Guevara, ep. I. II. Eadem quadruplex instabilitas in mundo est. Prima est navicula, tui ipsius, qui jam lætus, jam tristis; jam audax, jam timidus; jam perspicax, jam cæcutiens es; jam vis, jam non vis. Secunda nautarum, h. e. superiorum tuorum, qui tibi jam bene jam male volunt: jam hoc impetrant, jam vetant; jam bene, jam male gubernant. Tertia aquæ, id est, vulgi mobilis, quod jam hoc illuc te impellit; jam laudat, jam vituperat; jam amat, jam odit. Quarta venti, fortunæ jam faventis, jam adversentis. Neque enim tibi semper erit sanitas, juventutis vigor, domus prosperitas, liberi desiderati, opes, amici. Repente veniet tibi paupertas, suprebet tristis senectus, domus turbabitur, uxor aut liberi morientur, penuria aderit, amici deserent. Posuit se aliquando Christus, in mari Tiberiadis vectus, paulum ad dormiendum. Sed en repedente mare turbatur, et fit clamor: Perimus, perimus; sique Christus e dulci sonno executitur. Itaque ipsi Christo se opponere ausum est hoc mare. Et si Christi discipuli vix in eo salvati sunt, quomodo salvabuntur homines dissoluti et carnales? Nonne totus porcorum grex in eo submersus est? Navigavit aliquando per medium gelagum S. Amandus Trajectensis episcopus, cum subito apparuit miræ magnitudinis piscis. Nautæ ergo misso in mare reti, piscem illum cœperunt, et in convivium pararunt; cumque epularentur et mutuis plausibus exsultarent, inopinata mox orta est tempestas, quæ omne eorum gaudium vertit in luctum; ita ut non modo piscem cæterosque cibos, omniaque victualia, sed etiam navis armamenta cæteraque subsidia in mare projicere cogerentur; nec jam aliud, remigando fracti, nisi præsentissimam mortem expectarent; quam tamen S. Amandus precibus avertit, in vita, 6. febr. Sur. Idem quotidie

navigantibus contingit. Videre est ex littore maris naves sæpe fluctibus, quasi in canumen montis, evehi, ibique aliquantis per quasi in ære volare: sed in iectu oculi iterum deprimuntur, nec ullum earum vestigium appetit, quasi in profundum demersæ essent. Ita etiam mundus sectatores suos repente quidem ad summa elevat, sed plerumque iterum dejicit; ut facit civitatibus opulentis, mari Tiberiadis adjacentibus, Bethsaida, Corozain et Capharnaum, de quibus Dominus, Lucas X. ait: *Væ tibi Corazain, væ tibi Bethsaida, etc. et tu Capharnaum usque ad cælum exaltat usque ad infernum demergeris.* Quæ enim erant totius Judææ urbes florentissimæ, nunc adeo vastatae ac desertæ sunt, ut Bethsaida non nisi ex domos, Capharnaum septem piscatorum casas habeat, teste Adriomio et alii.

IV. Expandit et dilitat se id mare ex tenuissimo exordio duorum tontium, Jor et Dam, coeuntium, originem trahens, cinctum olim amoenis civitatibus, sed post tres, ut dixi, leucas, iterum contrahitur in fluvium Jordanem, a quo intersecatur: ac licet ex monte Libani originem ducat, tandem tamen prope Jericho in mare mortuum defluit, ubi dulcea et claras aquas perdit, et in amarrissimas ac sordidissimas convertit; seu ut Plinius, lib. c. XV. ait: *Aquas, laudatus perdit, pestilentibus mixtas.* Ita nimurum homines mundani se quidem in hac vita expandunt ambiunturque a servis et amicorum catervis velut mare Tiberiadis a civitatibus et vicis; interim tamen originem et interitum habent angustissimum, quia eadem illis nascendi et moriendi conditio cum pauperibus. At licet e Libano supremæ nobilitatis monte orientur, desinunt tamen omnes in mare mortuum, ubi dulces aquas suas cum mortiferis comiscent. Nonne talis fluvius fuit epulo, Luc. XVI. qui in vita se dilatans in duebatur purpura et byssus et epulatur quotidie splendide, at post mortem sepultus est in inferno? Quomodo in inferno? Ob fætorem forte carnis delicatus nutritæ, ne inficeret aerem. Aspicite et feminam, epuloni non absimilem. Dux Venetiarum Sylvias duxerat in uxorem feminam Constantinopolitanam, quæ tam delicata, superstitionis et artificiosa jucunditate se mulcebat, ut non communibus aquis, sed ore celi undique conquiso manus ablueret et baldeum sibi pararet. Cibos non manu tangebat, sed ab eunuchis scissos fuscinula aurea ori ingerebat. Ejus cubile plenum odoramentorum et thymiamatum erat, ut ejus frangrantia non assuetos tantum non stupidos faceret. Sed vide ultionem Dei. Corpus ejus omne computruit, ut totum cubile intolerabili fætore impleret, nec quisquam famulorum eum ferre posset, et vix una ancilla, non sine speciei redolentis auxilio, in ejus obsequio permaneret, quæ et raptim occedebat et protinus fugiens abscedebat. Diutius ergo hoc fætore decocta et miserabiliter cruciata, amicis etiam lætantibus, diem clausit extremum. Ita B. Petr. Damiani, l. VIII. epist. ad Blancam comitissam, ep. XIX. Qui addit: *Quid ergo sit caro, doceat ipsa caro, quodque perhibet mortua, testatur et vicia.* En tibi dilatum mare dulce, demersum tandem in mare mortuum fætidissimum, in quo nullum animal vivere, in cuius vicinia nec homines degere ob fætorem possunt.

Sed quid hoc discrus quæro? Num extrahere e mundo omnes, et facere Christi discipulos, seu religiosos? Non quidem illud molior, tametsi optare possim; sed ad minus illud, ut in primis non credamus mundo, qui plerumque hominibus imponit faciendo e lacu mare e bonis parvis magna, e sordidis speciosa, e vilibus pretiosa. Simus sicut capillus Veneris, qui inter aquas enascitur, aquis tamen non infunditur aut aspergitur. Secundo, ut ne amemus mundum, nec nobis attribuamus bona mundi, quæ tam multis aliis communia, et verius mutuo data, quam donata sunt, adeoque nec amemus multum; quia aliis relinquenda, uti ab aliis accepta sunt, velut suppelle hospitii, qua utimur uno die. Tertio, ut ne fidamus mundo succendentibus et a puppi flantibus prosperis ventis, sed expectemus etiam adversos, a prora nos adorientes, morbos, orbitatem, paupertatem, mortem, etc. Quarto, ut ne efforantur, sed meminerint potentes, qui se in vita expandunt, eamdem se habere nascendi et moriendi conditionem cum pauperrimis quibusque. Medium vitæ nostræ variare possumus principium et finem non possumus, ut fatetur Salomon, Sap. VII. *Sum et ego mortalis homo, etc.* denique subdit: *Unus ergo introitus est omnibus ad vitam, et similis exitus;* ergo: *Necesse ut varietas illa, quæ versatur in medio, tamquam volax fugacis somni vana contemnatur,* ut inde concludit Petrus Damiani, l. VII. ep. V. Quando itaque videmus maris hujus pericula, qui sapit extrahat navim suam saltem affectu, ut ne munde credat, ne amet, ne fidat, ne se effera.

## CONCIO II.

## CRUCEM QMÆ FACIANT AMABILEM.

Varia crucis mysteria. — I. Crux pons ad cœlum. — II. Crux sceptrou regian. — III. Crux currus triumphalis. — IV. Crux est sycomorus. — V. Crux vexillum Christi.

## THEMA.

Venite post me. Matth. IV.

Jure merito Petrus et Andreas appellantur fratres, in hoc evangelio: non tantum quia secundum carnem tales, sed etiam quia secundum spiritum et virtutem. Quid enim Petrus nisi et petra et saxum? Quid Andreas nisi virilem seu fortē Græca lingua significat? Et certe tales non solum appellati, sed etiam effecti sunt, dum uterque post magistrum et Dominum suum crucem ascendit. Petrus cum pia quadam ambitione voluit capite in terram verso crucifigi: Andreas vero cum ingenti desiderio et gaudio a longe crucem velut sponsam dilectissimam salutavit iis verbis: *O bona crux, diu desiderata, sollicite amata, sine intermissione quæsita, et nunc concupiscenti animo præparata, suscipe me, etc.* nec ab ea deponi voluit. id quod jure miratur S. Bernardus, ser II. de S. Andrea dicens: *Obsecro, fratres, homo est qui loquitur hæc? Annon est homo, sed angelus aut nova creatura aliqua?* Homo plane similis nobis, passibilis, quia scilicet ad tormenta sicut ad ornamenta, ad poenas sicut ad delicias properabat; ut idem ait, ser. de triplici genere bonorum. Videamus ergo nunc, quid Andreas in cruce videret, ut adeo gestiret eam amplecti.

Reperiuntur interdum imagines, ut memini me vidisse, que duplices vel triplices, referunt figuræ, si versis stationibus, ex lœva vel dextera vel directa aspiciantur, v. g. a sinistris aspecta repræsentabit mortem, a dextris visa juvenem decorum; illuc rusticum, hic regem. Talis icon crux est, qua aliter quidem a nobis aspicitur, aliter a S. Andrea aspecta fuit. Nobis apparet esse patibulum, Andreæ visa est esse pons ad cœlum, sceptrum regium, currus triumphalis, fucus Zacchæi, vexillum militare.

I. Aspergit Andreas crucem veluti pontem publicum, omnino transeundum omnibus, qui ad cœlum tendunt. Audiit enim a Christo dictum, Matth. X. *Qui non accipit crucem suam et sequitur me, non est me dignus, q. d. non est dignus, ut dividat mecum spolia, qui non vult pugnare me, cum. Scivit id, quod Paulus et Barnabas Christianos docuerunt: Quoniam per multas tribulationes oportet nos intrare in regnum Dei, Act. XIV. Unde infert S. Hieronymus, ep. ad Oceanum:*

*Ergo illis utique clauditur, qui nolunt sustinere vel paucas. Cruces in viis erectæ, vias regias demonstrant; viam coeli omnibus communem crux Christi ostendit. Errat ergo, qui per aliam viam venturum se ad cœlum sperat. Nemo in terram promissionis, nisi per asperos montes et solitudines introductus fuit. Vide montem Calvariae; tres ibi cruces sunt: una Christi innocentissimi, altera latronis pœnitentis, tertia impœnitentis: ergo undique crux a dextris et a sinistris, apud bonos et malos; sed mali crucem inutilem, boni utilem habent. Quis inter illas tres non mallet eligere crucem Christi? Nonne præstat innocentem pati, quam nocentem, quod vel ipse Socrates vidit? Hic enim ab Atheniensibus injuste ad necem damnatus, uxori dicenti: *Mi vir, num innocens morieris?* respondit: *Quid num malles me nocentem mori?* Stob. ser. 1. Bruson, l. II. c. I. Quod si innocentes non simus, præstat crux latronis pœnitentis, quam impœnitentis qua de cruce lignea ivit ad crucem igneam. Bene Rugo de S. Victore ait: *Si culpa pateris, erubesce; sit sine cupa gloriare. Latro magis esse vis, quam Christus?* Clamat etiam populus pro Andrea contra judicem; *Innocens ejus sanguis sine causa damnatur.* Sed hoc ipsum erat, quod Andream ad mortem animabat, eamque maxime ornabat.*

II. Aspergit crucem velut sceptrum Assueri regium, quod ad osculum accidentibus porrectum regiae benevolentiae signum erat, uti contigit Estheri reginæ, Esth V. Est autem revera crux, cum a Deo alicui porrigitur, divinæ benevolentiae luculentum testimonium, adeo ut eam S. Paulus ad Phil. II. donum Dei appellat: *Vobis donatum est pro Christo, inquit, non solum ut in eum credatis, sed ut etiam pro illo patiamini.* Causam dat Chrysostomus in eum locum: *Quia illic quidem Deo debitor sum: hic autem debitorem habeo Christum.* Cujus rei figura erat ludus ille Josephi, quem cum fratribus suis lusit, Genes. XLIV. cum omnium quidem fratrum saccos impleri frumento jussit; verum calicem suum argenteum, e quo ipse bibebat, in solius Benjamini, conterini et dilectissimi fratri, sacco imponi. *Triticum multis datur,* ait S. Ambrosius, lib. de Joseph, cap. XI. *scyphus uni, qui propheticō et sacerdotali donatur munere.* Non enim omnes, sed propheta ait: *Calicem salutaris accipiam, etc.* Possumus hoc idem explicare cum eo, quod intellexit etiam Seneca, l. de constantia sapientis. «Hanc rationem, inquit, sequitur Deus in bonis viris, quam in discipulis suis præceptores, qui plus laboris ab his exigunt, in quibus certior est spes: et quam in militibus duces, qui optimos milites ad durissima mittunt, etc. Dicant hi ergo (pergit auctor):

Digni visi sui sumus Deo, in quibus experiretur, quantum humana natura (imo gratia et amor Dei) possit pati. Ecce spectaculum Deo dignum. » Apposite ad id Pauli I. Cor. I. *Spectaculum facit sumus mundo, et angelis, et hominibus.* Certe Christus etiam nonnisi heroibus et magnis amicis suis, veluti suis discipulis et cordatis confessoribus passionis calicem donavit: quemadmodum et Abraham lignorum fasciculum non imposuit servis aut asino, sed dilecto suo filio, et hunc solum eduxit ad montem immolandum; illos intra montem stare, seque jussit exspectare, Gen. XXII. Qui, ut filii, Deum colunt ac timent, illos onerat Deus fasciculo crucis suæ, et ad montem perfectionis dicit; non qui ut servi velut asini verberibus cogendi.

III. Velut currum triumphalem, in quo suaviter vectus cœlum ingredieretur. S. Ambrosius, lib. X, in Lucam, de Christo crucifixo ait: *Currum suum triumphator ascendit.* Est igitur, ipso teste, crux triumphalis currus, in quo ad cœli Capitolium non modo gloriose, sed suaviter etiam ac secure ascenditur. Gravis quidem est currus, sed inunctus levior fit, nec difficile trahitur, sine unguento stridet. Jam vero qui dat currum, dat etiam unguentum. Unde S. Probus martyr, cum nervis crucis cæderetur diceretque Demetrius centurio: *O homo vide sanguinem tuum in te ram effundi, et tibi propiliare,* respondit: *Corpus meum ante vos est, mihi autem tormenta unguentum sunt.* Ut in ejus actis apud Sur. 11. octobr. Quare S. Bernardus, ser. I. de dedicat. crucem religiosorum comparat cum crucibus in templi parietibus depictis, quæ ab episcopo inunctæ sunt, tametsi in illis unctione non apparere, sed præcise crux: *Homines rident crucem nostram, inquit, sed non unctionem nostram.* Quid de S. Quintino martyre dicam? Hujus ori cum acetum, calx et sinapis infunderetur, aiebat: *Domine Deus, quamvis hæc amarissima et exitialia sint, ori tamen pro mellis dulcedine et favi reputo suavitate,* 31. octo. apud Lipel. Nimirus sicut Simon Cyrenensis alleviavit crucem Jesu, retro eam sublevando; vel, ut aliis placet, totam post Jesum in se suscipiendo, et portando; ita Deus servis suis mitigat solatiis, quas imponit, cruces. Sic ad læsum membrum accurrit sanguis: sic mater ægroto filio totam se impedit. Sed audiamus s. martyrem Philemonem dictum Choraulem qui prius arte tibicen et gentilis, cum loco unius Christiani per ludum sacrificare pararet, in ipso actus divinitus immutatus, et serio Christianum se professus fuerat, crucis currum describentem in artis S. Thyrsi et soc. 14. dec. apud Sur. Is cum tormenta Ariani præsidis contemne-

ret, causam rogatus, jussit expediri currum muliebrem, æneo velamine tectum: « Adducique puellum et in eum immitti diligenterque includi: congregari vero omnes, qui erant in civitate periiti sagittandi, et ad currum jaculari, tamquam ad scopum et non cessare jaculari, donec totus currus esset tectus sagittis. Atque illi quidem congregati sic faciebant. Æs autem intus illæsum conservabat puerum, cum vero et ipsi sagittandi essent defessi, et tela eos defecissent, puer educitu: illæsus, et stabat quidem præses dubius cur hæc fierent. Dicit autem martyr Ariano: Ha tibi, o præses, evidens est imago meæ salutis. Quomodo enim hic puer etiamsi sibi ad nihil posset esse utilis, nihil tamen grave passus est a tam multis viris et jaculis, ære optime munitus: eodem modo ego quoque, etiamsi mihi innumerabilia inflcta fuerint supplicia, nullius horum curam geram: ea enim obtundit et hebetat mei Christi virtus, quæ me circum circa muro munit adamantino. Propter hæc, ira impletur Arianus, et cum vellet verba martyris convincere, facit ut ea potius deducantur ad affectum: nam cum ex quadam arbore suspendisset justum, quæ stabat quidem juxta tribunal, vocatur autem Persei, circa eum ex omni parte statuit sagittarios; et illi quidem fortiter torquebant, ille vero sua ad Dominum oratione, omnia tela similiiter depellebat: nam alia quidem cadebant in terram, alia vero figebantur in arbore, alia autem admirabiliter pendebant in aere. » Ita in actis citatis.

IV. Velut sycomorum, e qua videatur Christus veniens in gloriam suam. Sycomorus fucus fatua exponitur, et crucem Christi representat, ut docet, S. August. ser. VIII, de verbis apostoli: *Apprehendat Zacchæus sycomorum ait, ascendat humilius crucem.* Crux mundo fatua et acerba est, sed Zacchæo sapientissima et dulcissima fuit, in qua Christum et vidit et apprehendit. Nullum enim certius testimonium propinquæ glorie cœlestis est, quam pro Christo pati. In hac arbore latro penitens et vidit et apprehendit Christum; ita ut reliquo, quod supererat, tempore, in cruce pendens summa cum pace, silentio et gaudio perseveraret, non velut reus, sed ut martyr, proximam expectans mercedem, eo die sibi dandam. In eadem existens Stephanus vidit Christum a dextera Patris surgentem, ad coronam sibi porrigenam. Et cur S. Andreas ab ea se deponi noluit, nisi quia virtutem s. crucis agnovit, et jam lumine cœlestis circumdatu, introspicere in gloriam Dei cepit? Generosus ille molossus Alejandro M. a sophite Indo rege donatus comprehensum mordicus leonem nequaquam demisit, tametsi interim a venatore crus ei abscederetur. Tantum

## CONCIO III. AUCTARII

scilicet potuit prædæ jam delibata suavitas! Diod. I. XVII. Sprevit etiam Andreas crucis dolores, nec ab ea deponi voluit, quia in ipsa Christum jam comprehenderat. Quando ursus alveare rapit, et mordicus comprehensum aufert nequaquam id dimittit, licet apum aculeis undique pungatur; pluris enim facit mellis dulcedinem, quam dolorem ex culeis. Comprehenderat jam Andreas alveare celestis dulcedinis, quando crucem apprehendit; unde eam sibi eripi non est passus, nihil faciens probrum et dolores ejus. Vedit etiam exemplum magistri sui: *Qui, proposito sibi gaudio, sustinuit crucem, confusione contempta Hebr. XII.*

V. Tanquam vexillum Christi in celi arce fixum et in spolium propositum, ad quod rapieundum Andreas contendebat, omnes acies perrumpens et impedimenta amovens, summo sibi honori ducens, quod discipulus magistrum, miles ducem suum in pari certamine sequeratur. Celebratur, I. Macch. VI. Eleazar, ille, qui per confertam hostium multitudinem penetravit ad elephan-tem, in quo vectari putabat regem; sicque occisa et in se concidente bestia obritus, gloriose occubuit. Celebratur et Alertus marchio Brandenburgicus, *Achilles Germanicus* dictus, qui in hostium (Norimburgenses erant) turmam cum duodecim equitibus involavit, et ad vexillum eorum inter centum gladios in se strictos solus penetravit, idque amplexus ambobus brachiis, dixit: *Nusquam honestius moriar quam hic.* Refert. Aen. Sylvius, lib. II. comment, in Panorm. Et hoc iste ob humanam et fluxam gloriam. Longe glori-  
sius Andreas ad crucem penetravit per confertam et reluctantem populi multitudinem, necem ejus impedire molientem, quam ipse fregit, amplexusque crucem ambobus brachiis, noluit di-mittere, precatus Christum, ne pateretur se a cruce revelli, vere *Achilles apostolicus*, quasi dice-ret: *Nusquam honestius moriar quam hic*, in cruce Domini et magistri mei. Andream secutus Lambertus consul Harlemensis, qui a tumultuantibus Calvinistis, quod Ecclesiæ Romanæ auctoritatem tueretur, patibulo adjudicatus, cum a longe id aspiceret monitus ne timeret: « Quid extimesci-  
mus lignum, inquit? Etenim si olim Dominum gloriae crucifixurum, quid nobis jus servis ex-spectandum? Anne major servus domino suo? » Refert Opmerus, in matyrol. Hollan. Accedit P. Josephus Ancheta, qui in orbe novos agens cum comite, nudis pedibus, aspero itinere, stagnanti-  
bus aquis, et luto corrupto affatus comitem: « Hieronymus Soari frater, optant aliqui ut officio-  
sa fratrum charitate circumsepti, majore animo extremum illum agonem in hoc vel illo collegio

obebant: ego vero id assero nullum mortis genus esse melius, quam per obedientiam jucundarum animarum causa, in aliqua harum lacunarum, cœno lutoque obrutum vitam relinquere. » L. III. vita Sebast. Berettarius, q. d. *Nusquam honestius mori est, quam in tali lacuna propter Chris-tum.*

Quia vero non omnium est hæc sequela, demus operam, ut saltem animus noster mundo crucifixus sit et mortuus, ita videlicet, ut ejus leges non audiamus. Cum verbo aut exemplo invitat ad superbiam hypocrisin, simulationem, conventi-  
cula, vindictam, duella, compotationes, luxum, iniqua lucra et munera, aures occludamus ac dicamus, nos Christo ejusque legi affixos et crucifixos esse: *Nusquam honestius moriemur, quam in illa cruce.* Quod nobis impetrare Andreas, et donare dignetur Deus, qui est benedictus in sæcula.

## CONCIO III.

## ANDREAS VIRILIS, SEU FORTIS.

Ideo ipsius nomen a Christo non mutatum. I. — Quia fuit vir, quando primus omnium Christum secutus. — II. Quando vocatus ad munus apostolicum, secutus est. — III. Quando dixit: *Est puer unus hic.* — IV. Quando Aegeam redarguit. — V. Quando blan-ditias et minas Aegeæ contempnit. — VI. Quando ad crucem festinavit.

## THEMA.

*Vidit duos fratres, Simonen, qui vocatur Petrus, et Andream fratrem ejus.* Matth. IV.

Solent Romani pontifices cum inaugurarunt, mutare nomen suum, exemplo Sancti Petri, cui electro apostolo et designato summo pontifici, Christus nomen mutavit. Anno tamen 1555. Marcellus Cervinus, vir doctissimus, et inter cardinales sanctissimus, cum Julio III, in pontificatu successor electus esset, et de more novum nomen assumere juberetur: *Nec nomen, nec mores, respondebit, Marcellus fui, Marcellus ero.* Ethoc vel ob honorem Marcelli sanctissimi martyris, ut Cianonius scribit, vel quia a mare nomen Marcellus deductum, virile sonat. Mirum, auditores, quod Christus Dominus Petro quidem, ab Andrea fratre ad se adducto, nomen mox mutarit, dicens: *Tu es Simon filius Jonæ, tu vocaberis Cephas, quod interpretatur Petrus,* Andreæ vero prius se sequenti nomen non mutarit, Joan. I. An quia nomen Andreæ strenuum virum, seu virilem significat, a Græcis vocabulis deductum, quæ virum et virilitatem significant? Fuit enim Andreas certe vir

## IN FESTO SANCTI ANDREÆ.

virilis, et in vita et in morte. Jure ergo dicere poterat: *Nec nomen, nec mores mutabo, Andreas fui, Andreas ero.* Videamus ergo quomodo talis fuerit.

I. Virilem se ostendit, quando demonstratum sibi a Joanne Baptista magistro suo Christum, velut agnum pro nobis immolandum, primus omnium secutus est et mox præ aliis adducit etiam fratrem suum, Petrum, Joan. I. Audie-rant et alii discipuli Joannis, magistrum de Christo dicentem: *Ecce Agnus Dei, sed auribus corporis tantum, non animæ, ait Euthymius, nec secuti sunt Christum, sed æmulabantur honorem magistri sui, præferendo eum Christo.* At vero Andreas auribus etiam animæ Joannem magistrum suum audiit una cum alio anonymo, pri-musque Christi sectator et fratri sui adductor fuit. Rari sunt; qui præire ad arduam viam ve-lint, viri illi sunt, non pueri; unde singulari gloria digni. « Antiocho regi vadum experienti fluminis, renuit transvadare Ajax elephantis, alio-quin dux agminis semper: tum pronuntiatum, ejus fore principatum qui transiisset, ausumque patroclum, ob id phaleris argenteis, quo maxime gaudent, et cætero apparatu donavit. Ille qui no-tabatur, inedia mortem ignominiae prelulit, » ut scribit Plinius, lib. VIII. cap. V. Detrectarunt alii Joannis discipuli ad invitationem magistri sui transire ad Christi discipulatum. Primus Andreas transiit. Quis dubitet eum propter hoc singularem in cœlo gloriam et principatum esse consecutum? Pueri nos plerumque sumus, ac velut Ajax elephas, timidi præcedere ad arduam virtutem nolumus, alios præmittimus dicentes: *Cur alii hoc non faciunt?* At si via es, non atten-das quid alii faciant, sed quid alii facere deceat. Idecirco cum tentæ hominum multitudini promul-garetur decalogus, non fuit dictum in plurali: Non habentis deos alienos, non assumetis no-men Domini in vanum, honorate patrem et ma-trem, non occidetis, etc. sed in singulari: *Non habebis, non assumes, honora patrem, non occides, etc.* Exodi XX, ut moneremur non curandum, quid alii et vulgus faciant, sed quid tibi facien-dum sit. Quando quid pretiosum reperis in via, nonne illud tollis, etiamsi alii pertransierint, qui id non sustulerunt? Num dicis: *Ego ne tollam quod alii non sustulerunt?* Minime gentium. Pre-tiosa res est virtus quisquis illam videt, tollat, licet alii negligant: magnam enim sibi in cœlo gloriam comparabit et principatum super alios.

II. Quando vocatus a Christo ad perfectam se-quelam et munus apostolicum, mox relicis om-nibus secutus est eum, ut in hodierno evangelio audi-  
vimus. Arduum fuit hoc et virile, præsertim

illo tempore quo talia exempla non extabant, Christum pauperem sequi omnibus relicis, et se totum ipsi committere. Quod patet in primis ex legisperito illo Mathæi VIII. qui, magno qui-dem animo concepto, statuerat Christum sequi, dicens: *Magister, sequar te quocumque ieris.* Vide-rat enim populum confluere ad Christum, ob sa-nitates ei collatas, indeque sperabat sibi lucra comparare. Verum Christus ostendit ei paupertatem suam: *Vulpes foveas habent, et volucres cœli nidos, Filius autem hominis non habet, ubi caput reclinet.* Qua voce mox absterritis, se subduxit ac discessit, ut docent S. August. Hieronymus, Chrysostomus eo loco, et insinuat Matthæus. Deinde, exemplo, illius juvenis, Matth. XIX. qui cum le-gem a pueri semper servasset, vocatus tamen a Christo ad bonorum suorum abdicationem, adeo consternatus fuit, et ne verbo quidem respondere posset, sed tristis abiit.

Accedit quod Christus, Andream vocans, nul-lam promissionem addat, sed pericula et diffi-cultates tantum ostendat. Quid enim illud: *Faci-  
ciam vos fieri pescatores hominum, nisi debebitis  
maximis laboribus et periculis homines a volu-  
ptatibus et vitiis abstrahere, libertate sua pri-  
vare et captivos meos facere; interim a barbaris  
verbera, carceres et supplicia dira pro mercede  
vestra accipere?* Admiratus fuit Alexander Ma-gnus celsitudinem animi in Diogene, qui data optione regium munus petendi, nonni solis lu-men sibi permittendum petiit, ita ut rex diceret; *Si Alexander non essem, Diogenes esse vellem.* At major longe animi celitudo in Andrea fuit, qui solo paupere Christo contentus, nihil præterea quæsivit. Abrahami virtus celebratur, quod voca-tus a Deo spe magnæ promissionis, ut exiret de terra et cognitione sua in terram ignotam, ne-sciens quo duceretur, statim sine mora obedie-rit, Gen. XII. Cur non magis Andreas, qui et ipse a Christo ad paupertatem evangelicam voca-tus, nesciens quo duendus esset, nulla proposita mercede, mox secutus est.

III. Quando interroganti Christo: *Unde ememus panes ut manducemus hi?* respondit: *Esi puer unus hic, qui habet quinque panes hordeaceos et duos pi-sces, sed hæc quid sunt inter tantos?* Joan. VI. Dices, videri hic Andream non se ostendisse vi-rilem, sed potius puerilem, utpote diffidentem, Sed respondeo cum S. Chrysostomo (eo loco) non habuisse quidem eum prudentiam senilem, ne-que etiam puerilem; sed medium, scilicet virilem. Puerilem in Philippo potius invenimus, qui ante Andream dixerat: *Ducentorum denariorum panes non sufficiunt, ut unusquisque modicum quid accipiat.* Requisivit ergo Philippus plusquam du-